

IV  
AD MENAM  
*Iambicus*

Lupīs et agnīs quanta sortītō obtigit,  
Tēcum mihī discordia est,  
Hibēricīs peruste fūnibus latus  
Et crūra dūra compede :  
Licet superbus ambulēs pecūniā,  
Fortūna nōn mūtat genus.  
Vidēsne, sacram mētiente tē viam  
Cum bis trium ulnārum togā,  
Vt ūra vertat hūc et hūc euntium  
Līberrima indīgnātiō ?  
‘Sectus flagellīs hic triumvirālibus,  
Praecōnis ad fastīdium,  
Arat Falernī mīlle fundī iūgera  
Et Appiam mannīs terit ?  
Sedīlibusque magnus in prīmīs eques,  
Othōne contemptō, sedet ?  
Quid attinet tot ūra nāvium gravī  
Rōstrāta dūcī pondere  
Contrā latrōnēs atque servīlem manum  
Hōc, hōc tribūnō mīlitum ?’